

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0348

0346

0352

0342

0357

0337

0397

0297

0447

0247

0847

Ende

Anfang

335

in ore speluncae nativitatis Christi sibi sculpsit sepulchrum, et quod speluncae os angustum sit. Jam vero sepulchrum Jeronymi est extra ecclesiam, et introitus speluncae non in ecclesia, et ipsa spelunca est ornatissima, duo habens patentia ostia ad ingrediendum. Credo ecclesiam illam aedificatam temporibus novissimis latinorum regum Jerusalem et monasterium hoc magnum similiter, et tuguriola beati Jeronymi ablata, et alia dispositio loco data, quod et scripturae, pictura et sculpturae monstrant.

#### De monte Rama et ejus oppido fortissimo.

Vicesima sex tadie mane dicto Officio juxta praesepe Domini rogaverunt milites Calinum magnum, ut perduceret eos ad piscinas Salomonis et ad ejus hortos et pomeria et ad S. Georium. Et ascensis asinis ad loca jam dicta perducti sunt. Ego vero, quia prius in illis locis fueram, ut patet supra fol. 249. A., aliam peregrinationem illo die faci. Quatuor enim fratres Minores, qui nobiscum de Jerusalem exiverant, et ego quintus, de Bethleem egressi descendimus contra austrum ad radices cujusdam alti montis, qui de campo consurgit et rotundus in altum se tollit in cacumen, satis latam planitiem praeferens, de quo respectus est longe lateque per terram sanctam. Ad hunc montem sudoribus et laboribus ascendimus usque in ejus summitatem, et ibi habitudinem loci consideravimus et hinc inde per terram sanctam circumspeximus. In hoc enim monte ab antiquo stetit castrum populosum et munitum, quod dicebatur Rama, prout S. Jeronymus videtur velle dicere in libro de distantis locorum. Communiter enim villae in alto sitae dicebantur omnes (4 a) Rama, sicut patet P. 1. fol. 87. B. Adeo namque altus est mons ille, quod ab eo est respectus ad mare mortuum, ad montes Arabiae, ad montem Seir et Galaad. Videntur etiam ibi montes Engaddi et loca latibulorum David, desertum Tecuae et Silo, et mons Oliveti cum parte montis Syon, et consequenter usque ad mare magnum. Et hoc videtur in nudo montis cacumine, olim autem, quando erat altum aedificium supraaedificatum, habebatur respectus multo latior, usque in Galilaeam, Palaestinam et usque ad terminos